

GENESIS 1:1–10

1 in principio creavit Deus caelum et terram

2 terra autem erat inanis et vacua et tenebrae super faciem abyssi
et spiritus Dei ferebatur super aquas

3 dixitque Deus fiat lux et facta est lux

4 et vidit Deus lucem quod esset bona et divisit lucem ac tenebras

5 appellavitque lucem diem et tenebras noctem factumque est
vespere et mane dies unus

6 dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum et
dividat aquas ab aquis

7 et fecit Deus firmamentum divisitque aquas quae erant sub
firmamento ab his quae erant super firmamentum et factum est
ita

8 vocavitque Deus firmamentum caelum et factum est vespere et
mane dies secundus

9 dixit vero Deus congregentur aquae quae sub caelo sunt in
locum unum et appareat arida factumque est ita

10 et vocavit Deus aridam terram congregationesque aquarum
appellavit maria et vidit Deus quod esset bonum